DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.
QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis septimâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LIV.

M. PAULO LE ROY, Doctore Medico, Præside.

An à diversâ virûs Scorbutici indole & sede Morbi diversi?

I.

ORBUS haud unicus neque simplex, atrox verò, contumax, curatu omnium difficillimus, quo mirâ symptomatum varietate, diagnosi, prognosi, crisique suâ non fallacior; Proteus alter in Medicinâ, quo suâ metamorphosi non magis versipellis; monstrum, quo nec horrendum magis, nec ingentius; malum, quo suâ metastasi neque pejus, neque nocentius ullum; frequentissima generis cujuslibet affectuum sylva; multiformis ac stupenda accidentium caterva, quorum alia sunt specie diversa, alia oppositæ, aut contrariæ saltem naturæ; hostis denique hominum saluti infensissimus non ita unus, quàm numerosus valde hostium exercitus, Scorbutus. Permanentis impar consistentiæ, nullius figuræ tenax, naturâ sibi constare nescius, sedis incertæ, vento pernicior, quaquaversùm diffluit. Modò omnium ferè morborum genus & ingenium, sub quibus sese suumque virus diversimodè occultat, quasi de industriâ mentitur, quatenùs eosdem inchoat, vel ipsis se dedit consocium. Horum morem, quem præ se fert, à naturali haud absimilem adeò sibi accommodat, ut alienâ sub larvâ, propriâ veluti sub eorum specie Medicos, aliundè peritissimos, aliquando deludat. Modò fronte serenus, facie rosaceus, ingressu facilis & quasi amicus, progressu mitior cum ægro, cui tacitè insidiatur, non minùs ludit cicurando. Diræ interdum luis instar, depositâ dulcedinis malignitate, nemini parcens furit apertè. Nihil ætati, nec sexui indulget quidquam. Climati pariter, ætheri & temperamento non clementior. Hunc potiùs quàm illum è mortalibus non cruciat. Promiscuè cadunt singuli, quos neci cunctos ubique jugulat bello truculentior. Non omnes idcircò, qui ab ejus impetu urgentur, semper letho miserè occumbunt. Neque pari in anno, tempestatum reditu, vitæ articulo, neque ejusdem constitutionis, similive sub climate viventes, & æquo marte infestat. Nova atque nova hîc increpat arma; illîc permulta ipsi circumstant prælia à se invicem disparia. Reverà quosdam lacessit non ità dirè, & quasi

per tranfennam; nonnullos torquet diutiùs; plures in vitæ difcrimen adducit; omnes de medio tollit ociùs, tardiùfve. Sexcentis enim perviam miferiis reddendo diem, fæpiùs breviorem, longiorem nufquam facit. Diverfam propter, quam variis obfervare eft in plagis, tum aëris, tum corporis temperiem præcociùs, feriùfve ducit exordium atque finem. Ubi verò in chronicum evadit, quàm pertinacior laborum ejus perennitas, quàm diuturnior pœnarum quas infligit, fævities multam in annorum feriem pertingit ufque! Quot & quantas edat ftrages, quibus facrilegis fefe contaminet factis, cùm peracute fefe gerit, quàm referre horret animus! Dum graffatur enim ejus contagium, nihil vacans ab illo, omnia omni implet clade, ita ut nulla poft fe fuperfint falubria. Sive matris in utero delitefcat fœtus; five libero credatur aëri foràs exclufus; five puer factus nutricis ab ubere pendeat, aut fuis vagiat in cunis, ab ejus infultu non immunis. Patent & ipfi virgo, juvenis, adultus, vir, fenexque, qui tàm infelices, quàm infontes latus objiciunt apertum. Marem ac fœminam mutuos inter amplexus infando miferiarum connubio conjungit. Parentes cum natis fuâ virùs propagatione pari fato tyrannidis more unà tradit. Prægnans, puerperaque, gemina fimul ipfi fiunt victima, tàm mala quàm iniqua merces. In proceres non fecùs ac in mancipia fævit & remanet amborum pœna. Scorbuticæ lui paret ergò omne genus humanum. Etenim quid prodeft florens ætas, athletica conftitutio, pectus æneum, profpera demùm valetudo? Quinimò quò vegetiùs corporis robur, eò ferociori infurgit impete, eò citiùs veluti rebelle & frangi nefcium invadit. Solo vel nomine adeft undique terror ftatim, fuga, horror, mœror, edaces curæ, ingenfque formido: tàm privata quàm publica inhibetur congregatio; fanos inter & quofcumque ejufmodi labe correptos tota perit contubernii neceffitudo. Prætereà in dedecus, odiumve, ubi palàm renunciatur, à patre in prolem etiam refundendum, viceque verfâ, vertitur & tranfit fcorbutus. Quapropter horrenda injicitur mentio, molefta redit ejus recordatio. Nec gravi quodam (ut vides) abfque rationis argumento peffimi femper fuit ominis, damnati inftar nominis. Quamvis mundo ferè coævus, veteribus parùm notus, recentioribus paulò adhuc obfcurior. Invifum ergò atque novum quî foret ægrotationis genus fingulare, peregrinave fpecies? Deterioris equidem indolis pravâ hominum agendi ratione nunc factus, longè frequentior evadit, ubique popularis, nullibi locorum familiaris. Etfi crebrior non occurrat ulla affectionis fpecies; illum tamen unicâ & accuratâ nec comprehendi definitione, nec peculiari, aptâve defcriptione adumbrari docilem experta eft prior & pofterior ætas. Quid mirum? Diverfiformi jugiter fefe promit indicio. Quoniam verò ùtramque latebat fcorbuti indoles, hiftoria, infinitæ ejus metamorphofes, has pro totidem diftinctis autores habuere morbis, varia proindè ipfis dederunt nomina, & eum fic in varia perperàm difpefcuerunt genera. Mox ab ejus naturâ appofitè, mox à mirabili fymptomatum varietate, ibi ab effectibus, hîc à læfâ quâdam corporis parte, aut aliquâ vifceris functione difcriminant. Sic alienam rem pro morbo fumunt, & Gingipedium increpant, ubi nulla ejus veftigia, dum aliâ vice hanc vel illam corporis partem ab ejus labe vindicant nocentem. Quid plura? Quoties infolitum ærumnæ genus offendunt, toties percelebri fcorbuti nomine infimulant. Rara itaque & obfcura nimis veteri præcipuè in Medicinâ ejus mentio, quem multis etiam cum morbis, quibus erat finitimus, confundebant, manca defcriptio, curta, incerta, nullave medendi methodus. Multiplici fpecierum genere famofus! Nec immeritò. Pluribus in locis endemius; fporadicus in aliis, fuos

magis ac magis extendit fines, de die in diem divagatur, gentes unà aggredi-
tur omnes, quas unico, diſſimilive inficit modo. Correpto gradu aliàs prope-
rans, ſuum brevì abſolvit circulum, acutiſſimus. Veterno quodam aliàs remora-
tur greſſu, chronicus. Hìc ſodali ex ægrorum frequentiâ, mutuove amicorum
commercio & uſu, contagioſus. Illìc ſerpit longè latèque diffuſa contagii lues,
ſonticus. Si à parentibus ad nos uſque deducta tranſit, hæreditarius. Mala au-
tem quævis ab hæreditario miaſmate ſcorbutico profecta, præſertim noſcuntur
ex parentum valetudine, quibus etiam communes inſunt affectiones ſede
mutabiles, vagæ, periodicæ, habituales, contumaces, ſimiles, diſſimileſve.
Ubi caſu obtigit, adventitius. Vel integram corporis invadit provinciam,
univerſalis; vel quibuſdam ſolùm partibus decumbit, particularis. Si perenni
obſæpiat modo, fixus & habitualis; ſi interrupto, accidentalis ſeu tranſito-
rius. Sympathicus inſuper, ſi aliena ab eâ parte, quâ virus ſuam exerit
actionem, prodit phœnomena. Idiopathicus demum; ſi eodem in loco
ubi virus ſua patrat facinora, præſtò ſint indicia. Veram & adæquatam
ſi velis ſcorbuti definitionem; ſimultanea eſt ſolidorum ac fluidorum
depravatio virulento quodam humore peculiari & venereum æmulante
illata. Humorem hunc vel ab origine intùs latentem alimus, vel ſpontaneo
aut fortuito naturæ vitio enatum fovemus, aut in alterius corpore effor-
matum contagii ope foris quærimus. Dum concitatiori intrà vaſa devehitur
motu, inflammatorius fit, undè incendio veluti in univerſum vel in partem
corpus deurit. Quamdiù efferus, æquabiliſve, quo fertur circuitus, tamdiù
irregulares regulareſve ſortitur regreſſiones, ubi ſemel evadit periodicus.
Has regit inæquales æqualeſve, fugaces aut diuturniores, præmaturiores aut
tardiores, ambiguas certaſve, ſubintrantes & indiſtinctas, aut diſcretas,
prout diſpari, pari, minori, majori, breviori, longiori, eaſdem redintegrat
temporis intervallo. Sic inter ſe diſſentiunt eæ omnes, quas eodem, hoc vel
in illo ſubjecto inducit, periodi. Scorbutus & venerea lues alio nomine déſi-
gnanda veterum elephas, ſæpè ſæpiùs ſibi mutuò fiunt germani & congeneres.
Tàm origine enim quàm ſede, more, ſignis, periodis & effectibus pares;
diſcrepante licèt virûs naturâ & indole plurimùm diſtent; uti cauſâ re-
motâ, medendi methodo & remediorum uſu. Quamobrem non eſt undè mire-
ris, ſi ita ſibi invicem reſpondeant ambo, ut aliquandò reputetur unus pro
altero. Una enim eſt ſæpè & eadem utrique generationis via, proximaque
ratio. Immanes, quos cient dolorum cruciatus, veſperè, noctu, manè, pari
niſu utrobique ingraveſcunt. Conjunctæ ſibi ſunt crebræ nervorum con-
tractiones, incertæ artuum jactationes, innumeri aſſurgunt ſimul variis in
corporis partibus repullulantes undique tumores duri, ſcirrhoſi, ſparſim diſſe-
minati, ultrò citròque recedentes, recrudeſcenteſve. Caveas tamen, ne
utrinque morbum miſceas, & ſursùm deorsùm verſes. Jam verò non aliundè
ipſis accedit omnimoda hæc ſimilitudo, quàm ex eo quòd ambo proximè
conterminas occupent corporis partes, & ſibi æquè ac eodem ferè modo ſub-
dant. Quâ de cauſâ tàm ægrè à Medicis etiam noſtri ævi facilè principibus
diſtinguntur, quos ſæpenumerò fallaci ſuæ ſpeciei imagine ludificant. Nec
venereus morbus is eſt ſolus, quocum paternâ ſimilitudine pugnet ſcor-
butus. Sexcenti ſunt adhuc alii, quos inter præcipuè annumeres rhumatiſ-
mum, arthritidem, podagram, rachitidem, purpureas febres, miliares,
varioloſas, eryſipelatoſas, petechiales, ipſam peſtem, cæteros denique id
genus morbos in quos ſolet ſpicari quotidiè. Hi omnes naturâ, indole, maximè
propinquis gaudent, & ſinguli ex eâdem, undè ortum ducunt quoque
bubones, carbunculi, parotides, oriundi ſunt familiâ. Iiſdem aut ſimi-

libus aliundè invehuntur causis ii, qui solâ virûs alterationis varietate, quantitate, & variâ partium naturâ, in quibus consistunt, inter sese differunt. Quibus ex principiis haud natu minor est scorbutus, quàm morbi isti, qui legitima ut plurimùm, ne dicam semper, & ubique cedunt ejus soboles eâdem ratione, quâ ipsemet etiam legitima fit morbi venerei progenies & terminus. Sic alter alterius viget auxilio morbus; sic mutua infinitos propè inter affectus servatur connexio necessariusque dependentiæ mechanismus. Sic ingens eorum numerus pluribus cum aliis, licèt facie, sede, causâ inter se diversis, prorsùs certat, ambiguam penès symptomatum, signorum & effectuum similitudinem. Sic fraternum propter quemdam curandi modum, ac eamdem medicamentorum electionem, felici cum successu non raró debellantur omnes.

I I.

QUEMADMODUM in acutas Sceloturbe; ita chronicas quoque in læsiones se se spargit undequaque. Cujus feracior proindè non est regio una, quàm altera. Ideò primariam ejus si quæras originem, propriamve explores sedem, hanc potiùs quàm illam non invìseas. Boreali non magis quàm alibi, Europæ vernacula res. Totus enim orbis, cujus in circumscriptione proteiformis erumpit, & iniquo grassans pede populatur, tota sibi patria. Ejus enim in sinu suum hausit principium, suaque posuit incunabula. Nec satis. Angustiores nunc intra limites æstuat. Frigidissimas ergò, ubi chronicè incolit; temperatas, ubi peracutè variat; torridas, nimioque sole ferventes, quas inter furit peracutiùs, adeas nationes. Septentrionalibus tamen in plagis, prægnantem luis scorbutiferæ mineram unicè à naturâ fuisse reconditam antiqua erat opinio. Nullos inde præter maris baltici incolas, quibus congenita esse credebatur, vexabat; ibique natalem inter ditionem sese continebat ulteriùs haud excessura. Heus vixerit hæc fabula! Cùm totâ in rerum naturâ nullus sit locus, tàm arduus aut abruptus, quò eniti ac penetrare non valuerit, & ubi tyrannicè non dominetur. Multus verò jam annus est, ex quo regiam per Lutetiarum civitatem desævire visa est. (a) Quovis eam insequaris, non eandem ipsi semper invenies figuram. Sed alia Parisiis, Romæ & alia, *&c.* Nam singulari tum corporis, sexûs, ætatis, passionum, victûs, consuetudinis, tum anni tempestatum, cœli tractûs, aëris, climatis, regionisque intemperiei ac diversitati congruam assequendo formam, sic diversos apud populos prætendit facies plurimùm à se invicem abludentes, varias efformat ægrotationum species, dissimiles producit effectus. Sicut unaquæque gens diverso sub cœli positu sita, privata habet commoda, privata inesse etiam incommoda consequens est. Sic Hispaniam infestat strumâ & cholerâ morbo scorbuticus humor; Lutetiam catharro, humidâ tussi, rhumatismo; Angliam sudore inflammatorio, *suettâ* dicto, melancholicâ passione; Bataviam hydrope, hemicraniâ, & quâlibet febre chronicâ ac intermittente; Germaniam anazarcâ, febre miliari, omnique cacochymiæ specie; Daniam inveterato & pravi moris ulcere; Hungariam lethali dysenteriâ; Russiam præhumidâ gangrænâ ac verminosâ materie; Norvegiam hæmophtoicâ consumptione; Sueciam omnimodâ ventris dilaceratione, & purpurariâ per hyemem febre, quâ desinente in squamulas totum abit corpus; Hiberniam erodente herpete. Quid plura? Alpes gulæbotio; Lusitaniam hæreditariâ phthisi, ictero & hepatide; Narboniam frequenti carbunculo; Italiam tympanitide, podagrâ; Indiam venereo morbo; Ægyptiam elephantiasi; Turcas peste & cæteris ejusmodi morbis; Sianenses morbo sianensi dicto passim inficit. Endemiam insuper Helvetiis parit Vostalgiam, alteram melancholiæ speciem, Berneacensi adeò familiarem. Com-

(a) Voyez les Dissert. de M. le Camus dans le Journal œconom. Février, Mars, Avril, Mai 1753.

munis ejus radix manet altis in abdominis visceribus reposta. Poloniam demum plicâ, rusticis etiam infantibus apud nos valdè populari, deturpat. Singulare id mali genus, nodosa est articulatim capillorum madidis præ sordibus induratorum congestio, cui locum dat parentum incuria. Sequaces hujus & individui comites sunt dolores atrocissimi, spasmi perennes, sub nocte ingeminantes, universalis, uno verbo, corporis consumptio. Sic etiam inæqualem ob anni temperiem, atrocissimas hyeme quotannis invehit Anginarum, asthmatumque species, febres tàm ardentes quàm putridas, graves vere peripneumonias, variolas, pleuritides æstate immodicam propter siccitatem, febres intermittentes & chronicas autumno, ac insolito præ fructuum proventu & copiâ diarrhæas ægrè curabiles. Sic ratione ætatis diversâ, non minùs quàm variâ pro tempestatum vicissitudine portentosas affectuum phalanges ostentat, quos etiam diversis in corporis partibus deponit. Sic pueris caput achoribus, crustâ lacteâ, hydatide, hydrocephalo, pediculari que morbo premit, humidis oculos sinistrè lædit ophtalmiis, millenisque aliis passionibus, aures humiditate diffluunt, rubent ac pruriunt, quibus à tergo surgunt parotides, madent nares, polypo implentur & dolent, innumeris os scatet aphtis spumigerum, phlogosi identidem intumescunt genæ, pulmonem obruunt tubercula, cordis palpitatio; singultu tripudiat diaphragma; nausea, vomitus cujuslibet generis ac pertussis contumacior ventriculum fatigant; intestinum vexant tormina, hæmorrhoides, fistulæque; mentem vigiliæ, nocturni pavores, convulsiva dentitio, irrequietus gingivarum pruritus, spontanea cruoris effusio, dentium caries, vacillatio, nigredo, flavedoque, lenta febris, perpetuum urinæ stillicidium; natium intertigo, multicolor alvi fluxus pessundant. Quibus herniis non laborant ii, quos sæpe torquet ani procidentia, viscerum infarctus, ventris durities, protuberantia, artuum resolutio, Chorea Sti. Viti; omnifaria ossium discrasia, ultimus vitæ terminus atrophia? Ubi natu-majores, in vesicâ crescit calculus, toto in corpore exurgunt scabies hinc & inde, furunculi, ulcera. Titubante linguæ plectro balbutiem parit, cæcitatem, surditatemque, somniantis primitùs naturæ deliramenta. In viris guttam roseam explicat, nephritidem excitat, postquam hæmorrhoides in juvenibus, hæmorragias, immodicum veneris appetitum, maniam, epilepsiam, catalepsim, fatuitatem & impetiginem produxit. Ingratâ demum salivæ excretione, apoplexiâ, lethargo, paralisi, introductâ sensuum, motuumque sideratione impetit, & sinistrâ oris torturâ, diabete, lienteriâ, annosâ, matutinâ, torminosâque alvi profusione, nimiâve constipatione, lapidosâ chiragrâ, iniquâ humorum colluvie fallacem memoriâ ferit senectutem. Sic habitâ sexûs ratione chlorosis, pica, malacia, uterinus furor eas deturpant, quas jam maturas viro adurunt virgines, vel albo fluore præmaturè inficiuntur, vel earum menses depravantur. Passionem hystericam, sterilitatem, prægnantium abortum, mala puerperarum lochia, morbosam sitim, inappetentiam, depascentem mammarum cancrum in muliere prodit, ex pollicis dextræ intercapedine sæpe elicit menstrua periodico modo. Homini tument testes, hydrocele laborant, seminales ingurgitant vesiculæ; muliebri æmulus interdùm suis è genitalibus prorumpit fluor albus. Sic denique multiplex etiam est, qui penès temperamenta à scorbutico lare inducuntur, morborum generatio. Aliis enim sanguineam & athleticam, biliosam aliis, melancholicam his, & siccam, pituitosam illis & cachecticam in constitutionem facessit, solidorum, fluidorumque prætermodùm invertendo naturam. Proximam hinc omnium malorum, longioris præsertim durationis, illud venenum semper esse causam nonnulli contendunt. An jure, an immeritò,

videat quisque veritatis assertor & æquus rerum æstimator? Dummodò incredibili horumce, & infra dicendorum diversitati idem parentis morem sæpiùs gerere pro certo teneatur. Postquàm verò duplicem inter cordis thalamum sanguini committitur ejusmodi fermentum, cæteris deindè ejus liquoribus circulationis ope permiscetur: universam tunc subit machinam, quam animalem penès œconomiam in totum partimve labefactat. Successivam subactione mirum in modum variatâ patitur alterationem, novas atque novas continuò experitur elaborationes. Perpetua enim solidorum actio, perennis fluidorum miscela & circulus à se invicem alienas magnoperè efficiunt eas, quas mutationum adit vicissitudines. Constantem itaque & eandem ubicumque sibi retinere indolem non pote est. Diversam potiùs comparet atque huic illive corporis parti magis aut minùs similem & analogam, necesse est, principiis in aliud adeò mutatum. Hâc ratione continuatum, itu redituque pluriès iteratis, cursum relegendo, nostris & solidis & liquidis suam imprimere labem aptum evadit, quatenùs utrique magis aut minùs proxima accedit ejus indoles. Præthereà habet à se, ut peculiarem istis, eandem facilè contrahat ac mutuetur indolem; unde in nihilum, pejusve ruit, pro ut ab ipsis superatur, vel suum vicissìm conciliat ingenium, ubi simùl habet prædominium. Aliam iisdem partibus non solùm exhaurit sedem, alium sibi arrogat vultum scorbutus, suas quoque eodem ex fonte diversimodè obtinet periodos. Copiosâ pariter causarum turbâ habet, undè specioso passim vulpinetur simulacro. Sed hujusce virus aliis suâ præ aciditate vitriolicum, nitrosum, salsomuriaticum; quibusdam ammoniacale; nonnullis austerum, tartareum, deurens; aliis suâ præ acrimoniâ, alcalinum, fœtidum, putrefaciens, corrosivum, ichorosum, deleterium; aliis glutinosum, pingue, vappidum; aliquibus serosum, pultaceum, chylosum, lactescens, fatuum, pituitosum, filamentosum, argillaceum, gypseum, concrescens, calculosum, aliis flatulentum, *&c.*. Erunt ergò tot scorbuti species, quot variæ dantur ejusmodi virûs dotes, quibus constituitur ipsemet. Hinc non in solâ & summâ humorum putredine, nec præternaturali & solâ in sanguinis dissolutione ac insolitâ lymphæ acrioris spissitudine simul conjunctis unicè reponendam esse totam scorbuti essentiam colligere est. Nunc enim in unâ cruoris parte rectiùs, nunc in alterâ seorsìm simulve, totâ in ejus massâ rariùs, neque in sanguine aliquandò, neque in lymphâ, vel in utroque simul peccante aliàs continetur ejus natura. Equidèm corpori adesse quidquam ejus veneni contagium ullâ sine tùm sanguinis cùm lymphæ culpâ, præsente verò humoris cujusvis alterius peccato, quid vetat? Ast illud intùs forisve multiplici accersitur viarum genere. Duplex solummodò est ea quâ habetur intùs, generationis ratio, embrioni nempè quasi per manus referatum traducitur parentum maleficio, vel protractiori & inveteratâ nimis alicujus functionis perversione excitatur. Foris per contagionis modum promovent lactatio, contactus, halituosa & maleolens anima, saliva, sputum, perspiratio, sudor, genitalis liquor, intùs suscepta, uti assidua ægrorum communio, Contaminatur ita horumce aliquibus vicinior aëris atmosphæra nos ambientis, cujus ministerio corpus sanum corrumpitur, in quantùm per cutis meatus, trachææ arteriæ spiracula, aliove modo exhaustum virus in sanguinem protruditur. Ibi in actionem primariò erumpit, quam ad chylosis deindè aliaque organa circulationis beneficio deducit continuatam. Haud alterum à venereâ lue in eâ, quâ contrahitur parte sæpiùs, non semper manifestari solet. Illud etiam commune est purpureis, variolosis, petechialibus febribus, ipsique pesti. Sed illæ totidem sunt nativæ scorbutici hu-

ſboris propagines & efflorefcentiæ externo ab aëre invectæ. Alienæ quamvìs appareant inter ſe, nonniſi diſparem ob alterationis gradum & ſedis locum inter ſe differunt. Una ſiquidem ex eis in aliam crebrò, viceque verſâ, mutatur & deſinit. Quo pacto morbo morbus ſpontè remediiſve aliorſùm pellitur, non curatur. At curſum ejus & ſtaſim, quocumque ſe vertat, invictè dirigit, duce naturâ, major minorve ſolidorum debilitas, fluidorum analogia.

III.

STOMACACE, cui adaugendæ multò frequentior famulatur occaſio; infinitis adducitur cauſis. Hæ externæ, internæve. Nullæ, quotquot ſint, venenum ejus aſportant, niſi prævia quædam in corpore adſit proxima ad ſuos effectus excipiendos diſpoſitio. Secùs vaſa ſubiret incaſsùm, & aliquandiù remaneret iners ac quaſi ſopitum; donec inſigni tandem abſque diſpendio eliminaretur. Undè exurgat ejuſmodi diſpoſitio, ſi cupias, ſine quâ irritum ſit virus, nec aliundè ponitur ſcorbutica lues? Hanc cenſeas igitur penès ſolida aliqualem eſſe rigiditatem, ſpaſmum, criſpaturam, debilitatem, laxitatem, reſolutionemve inchoatam ac præternaturalem, *&c.* Ex parte liquidorum diſſolutionem eſſe credas, lentorem, acrimoniam, ſecretionem, excretionemque ſimul quadantenùs læſas & motum horumce devium, majorem ſolito, minoremve. Quare non aliâ ratione ea infertur ſcorbuti ſpecies, quæ à contagioſi halitûs indole advolat. In ſanguinem enim, dum irreptat venenum, mox cunctos, mox quoſdam duntaxàt vitæ latices (mox nullos) hoc vel illo modo veneficat, eo quidem pro rationum momento, quo ad labem admittendam remotè aut proximè diſponitur corpus. Etſi parem inde excipiant aërem telluris ejuſdem incolæ, cur non omnes eâdem in urbe, eâdem in domo ægrotent, & cur nec eâdem laborent affectione, eâdem prorsùs licèt contagione perſtringantur, in propatulo eſt ratio. Næ alii ociùs, feriùs alii, aliqui nuſquàm eos inter, qui cum contagioſis aſſiduè verſantur, ejus efficaciam experiuntur. Undè id diſcriminis genus, amabo? Nonne à remotiori, vel proximiori (aut nullatenùs,) diſpoſitione, quam adauget ſolùm cauſarum cohors? Jam verò illarum claſſem ducant Maritima loca, lacuſtria, ſtagnoſa, uliginoſa, ſpongioſa tellus, celſiora & abrupta inter montium cacumina depreſſa nimis inhabitatio, ut in Finlandiâ, Norvegiâque; domus altos ſuprà montes poſita, ut in Hanovriâ, recèns extructa, lignove, ut in Moſcoviâ, vel calce durata, gypſove, ut in Galliâ; marmoreo, faventinove lapide, ut in Bataviâ, ad hominis ferè altitudinem inſtrata, facie exorienti ſoli averſa, malignâ in luce locata, feneſtris brumali aeri apertis, incolis frequens nimiùm, nec internis à ſordibus repurgata, umbroſi ſitûs; anguſta nimis caſa, inferioribus in terræ penetralibus immerſa, quâ libera impeditur perſpirationis functio. Nec minùs nocent regia, in quibus eniteſcunt marmorum divitiæ, amplioraque palatia. Præſens ibi regno perenni perſentitur & congeleſcit frigoris immanitas. Flumen, ſtagnum marinum, ſalſum, fœtens, putridum, ruri domeſticum, imprimis apud vinitores, fervidâ æſtate areſactum, putrefactiſque algis aut ſtipitibus aliis deuſtum. Scorbuticum virus non ſolùm præſtant hæc omnia; ejuſdem verò periodicam quoque inſtaurant reproductionem. Sic curatus probè licèt ſcorbutus, niſi mutetur habitatio, eodem in anno, inverſâ præcipuè tempeſtate, pluriès redit inexpectatus; ſive idem indole, ſede prorsùs ſimilis, vel longè diſtans à præterito ſit. Combuſti foco, qui præſentem putredinis fomitem ponunt terræ carbones. Domeſtica non ſecùs eandem ſuſcitant ſterquilinia ex plateis

collecta. Fuliginosi & venenosi nuper reclusis è terræ visceribus in auras sublimes minerarum suffitus, quibus in medium proferuntur sæva virûs irritamenta. Levissimus auræ venenatæ intra corpus illapsus quàm nervos suo stimulo concutit, quàm majores proindè vel numero pauciores interturbat functiones ! Trita nimis ergò hæc & malefida cautiùs sibi prospicienti, sedulò vitanda. Incondita cadavera, quorum halitu ac contactu corrumpitur aër externus. Inconstans illius, qui sibi nusquam ac nullibi similis, constitutio, suas penès qualitates omne vitium, perpetuæ, quas eâdem in die alias atque alias sæpè apud nos subit vicissitudines. Eò nocentiores, quò magis repentinæ. Hyemale frigus, procellosa, crebra & chronica nimiùm pluvia, nebulosi venti, austrini, diri, sicci, ubique perflantes, improvisa ætheris quælibet mutatio ac miasmata ipsi permixta & naturâ imparia. Acida enim sunt, vel alcalina, venenosa, fixa, volatilia, *&c.* quibus multifariàm inficitur aër, corpusque nostrum. Totam verò illius molem ab iisdem esse omninò venenatam, dum scorbutus passim debacchatur alterum contagii genus factus, ne credas. Disseminata hinc & indè pervolitant miasmata, quorum in corpus intromissione in actum trahitur ac evolvitur scorbuticus humor. Cujus semina nostro in corpore, æthere nusquàm germinant, crescunt, maturescuntque deposita. Quamobrem homines nec indiscriminatim lædunt omnes aëris venena, nec ipsos ingruenti virui paritèr reddunt obnoxios. Nocivis quas in liquores ingerunt particulis, in æstum eosdem impellunt, in tenues resolvunt exhalationes, aut spissum densant in coagulum aut segniori motu retardant; fibras quoque humectando laxant, vel exsiccando nimis rigidas efficiunt. Variæ & inæquales, aut inversæ anni tempestates; solemnis aquarum longè & latè effusio, diuturnior terris earum incubatio; insoliti terræ motus ex improviso scorbuticæ lui non raró dant initia; præposterus acidularum, thermarumque usus & vicinia. Priores, quatenùs acidæ ab omni ævo habentur nervis infensæ. Hoc etiam sub titulo infirmis ventriculo, pulmone debilioribus maximè adversantur. Posteriores in universalem machinæ æstum, dissolutionem & atrophiam deducunt. Aqua lutosa, turbida, lapidescens, calculosa, argillacea, calcaria, tartareo sale acidove quolibet turgens, metallica, corrosiva, diversæ sordibus naturæ polluta, umbrosis stagnans, aut defluens, gelida, calida nimis, pluviosa, paludosa, maleolens, detritæ cannabis sphacelo & cloacarum cujuscumque generis venenosa inquinamentis, *&c.* Pravis enim adeò imprægnata dotibus stomachum gravat, cibos difficilè coquit, lactea ægrè permeat vasa & sanguini, cæterisque liquoribus omnia, quæ è terræ gremio secum provolvit, confert impura. Sic vel succos primarum viarum, in quibus stabulatur, tenaces & improbos reddit, vel intrà secundi ordinis vasa delapsa cruoris massam alienis dotibus vitiat. Suis proindè ut immorentur incerniculis, varios utrinque cogit humores. Propulsanti jam contagio hoc modo viam quasi parat & sternit. Quin imò incrementum ipsius additur longè plurimum evolutioni ! Vinum album, dulcissimum, merax, acescens, turbidum, vappidum, recentius, generosius, parùm fermentatum, largius, nocte epotum, austerum, tartareum; immaturæ demum, musteæ vindemiæ & omne acetariorum genus, quàm scorbuticis nociva sint quoque, vix credibile ! Quibusvis eâdem de causâ à liquoribus ardentibus dictis, puta coffeâ, chocolatâ, *&c.* temperes. Inimicâ eorum actione indurantur, crispantur solida, exsiccanturque; coagulantur, inspissanturve, alcalescunt, dissolvunturque fluida. Scorbuticum proindè virus ut adesse festinet, morem gerunt. Damnosa pariter venit Cerevisiæ, Pomaceique adhibitio. Utrumque crassiores gignit humores, obstructiones

parit,

parit, colicos invehit dolores suâ facili effervescentiâ; flatus quoque, quorum irritamentum fit hæc, turmatim colligit immanes, & maximam crudorum copiam suo pro more congerit: potûs largior usus, multos in annos protractior ebrietas; farinosa vegetabilia, leguminosa, nihil nimisve fermentata, non cocta, recentia, acido-mucosa, immatura, austera, terrea, chylosa, lactescentia, acriora, alcalescentia, aromatica, aquosa, frigida, glutinosa, succulentiora, venenosa, & fungi omnes deleterio prætumentes succo: universalis segetum sideratio, pravæ harumce dotes, annonæ caritas, cibi cujuslibet parcimonia, immoderata fames diùve tolerata, angusta domi res: quæ omnia vitæ fundum ita evertunt, ut ad putredinem citò vergat cruor instanti letho proximam. Hùc accedant insupèr cæna vespertina nimis pleniorve, alimentorum ingluvies & prava victûs ratio: quæcumque animalium pars chylosa, facile acescens, oleosa, medullaris, adiposa, membranacea, *&c*: nimius eorumdem hepatis ac bilis usus; lacticinia, butirum, caseus, inveterata præsertim, insulsa, salitave nimis; plenior mellis copia, aliaque id genus, quæ vel leviori fermentatione in materiem abeunt caseo lactis presso æmulam dum primariis in viis nidulantur, vel alcalinâ putredine laborant: maritimi pisces, fluviatiles, stagnosi, amphibium, repens, volatile genus, caro cruda, ferculum lanioni aliisque benè multis usitatum, porcina, hædina, ovilla, pessimive succi, aut junior, vetusta, bovina, sale condita diutiùs; panis mollior, recens, inveteratus, biscoctus, improbæ qualitatis, & micæ ejus abusus; cibi pinguiores, crassi, saccharati, fumo indurati, mensa opipara, insolita optimorum assumptio, mutatio repentina, præposterus eorum usus; undè familiare fit contagii vehiculum: omnia hæc scorbuticam sæpè in phthisim ventriculo infirmos præcipitant, in quantum salsum, acriorem, spissum, æstuosum, irritantemque cruori sufficiunt chylum. Vomitoria validiora, aut frequentiora, quibus mulctatur stomachus, vehementior purgatio & iterata nimis, amara, antispasmodica, absorbentia, anodyna, opiatica, quibus depravatur ciborum coctio, & venena quævis; incauta topicorum, oleosorum præsertim & acrium applicatio, intempestiva manuum frigidam in aquam, aut totius corporis immersio, & balneorum usus; prælonga junioris cum seniori, multorumve simul eodem in lecto cohabitatio: calvities præmatura, morbove succedens, senilis conceptio, subeffœta parentum genitura & improba, quæ ab iisdem transmissa est humorum crasis; nutrix scorbuticâ jam labe affecta; neglecta corporis mundities, trunci artuumve denudatio hyemali præprimis tempore; coercita frigore subito pedum perspiratio, dum humidis hi madent caligis; longinqua navigatio, celebrata inter brumæ solisve furores equitatio, ejus frequentia & excessus: immodica laborum exercitia, pertinaces vigiliæ, irrequieta insomniæ vexatio, nocturna meditatio, studiorum morositas, liberæ mechanicæque artes multæ; singula enim corpus exhauriunt. Aliâ de causâ procùl ab homine exulet somnus profundior, æternum tàm animi, tàm corporis otium, utriusque tumulus, quo torpet Parisiis muliebre genus. Odoramenta sæpè naribus admota, vel suffimenta, quibus certatim toti imbuuntur trossuli non secùs ac matronæ potentes. Multiplicando præter spem & insciè veneno, suâ pro virili parte allaborant, & proventum ejus hoc modo præmaturant. Quantam enim in solidis turbam, tantam in fluidis illi intendunt procellam. Hoc damni quotidianâ non manet dubium experientiâ. Etenim quotiès in lactis effusionem videlicet, icterum, & hystericas passiones, indictis eo loci virorum malis, mulieres im-

pegit eas, quæ vel aromata gerunt, ut gratè ſpirent, vel naſo admovent? Si myropolio viciniores, tam naſo quàm ore, pulmone, & cutis meatibus combibunt odorata, iiſdem proindè ſubjacent ærumnis Nonne animum fatigant, caput gravant, vertigines procreant in nervos incita, & corpus in univerſum à ſtatu naturali dejiciunt? Quoad internas autem cauſas, jure ac meritò turmam ducant inordinata animi pathemata, quæ ſcorbutici virûs principio & ulteriori ejus propagationi ſunt incitamenta. Primaria eorum ſe habet præmatura, intempeſtiva, copioſa nimis, aut nulla veneris licentia. Prolificum ubi ſemen turget ſuis in conceptaculis, non minùs in morborum ſeminarium faceſſit, quàm nefanda ejus diſſipatio. Hujus veritatis in utroque ſexu plurima non deſunt exempla! Mendaces poſteà deliciæ, diſſolutæ voluptates, intentiores remiſſioreſve animæ motus, *v.g.* ira, amor, mœror, triſtitia, invidia, metus, *&c.* Perpetuò ſi hominem vexent iſtæ paſſiones à latere ſequaces, perpetua miaſmati ſuppetunt fomenta. Liberaliſſima & iterata nimis venæ ſectionum copia, aut frequentia; morborum multitudo, atrocitas, diuturnius ævum, fucata eorumdem curatio; regurgitans boni cruoris & humorum ejus abundantia, parciorve præſentia, intentior remiſſiorve fluidorum vis, energia & motus. Major æquo aut minor viſcerum ac vaſorum ſenſus, motus, robur, tonus & actio. Immodicæ, imminutæ, abolitæ ac depravatæ tùm ſecretiones tùm corporis excretiones, ſive periodicæ, ſive perennes. Contumax quorumdam viſcerum infarctus, & alia quævis malè morata pars quoquomodo vitietur, eâ tamen conditione, ut prælongiori ſit in vitio. Sed quod notatu dignum eſt, cauſas inter ſcorbutici virûs efficientes malè reponitur ſæpè mercurius ac cortex Peruvianus. Ambo enim, niſi nimio aut diuturniori adhibeantur uſu, non tàm illud inferunt, quàm ſedis ejus locum mutant. Sic vel ad dentes, gengivas, linguam, totius oris & palati cavum amandant, vel ad alia corporis colatoria intùs, aut extùs collocata. Nec hypochondriaca, nec hyſterica paſſio, neque melancholica, neque maniaca intemperies, nec athletica, nec cachectica aut pituitoſa conſtitutio à naturâ ſic comparata, morbo aut aliâ de cauſâ immutata ſemper illud promovent. Adjuvantes pariter ipſi non ſunt cauſæ febres continuæ, aut intermittentes quotannis vere vel autumno reduces. Propagata potiùs hæc & illa ſunt ſcorbuti ſoboles & metamorphoſis. Eandem quoque de omni ægrotatione periodicâ aut erraticâ, ſententiam feras. Hùc accedant tandèm ſpina ventoſa, ſcrophulæ, Rhumatiſmus, arthritis, herpetica labes, ulceroſum genus, ſi inveterata, *&c.* Sive à corporis peripheriâ ad centrum, & vice verſâ, retropellantur, ſive ultrò aut remediorum ope recedant hæc mala, ſcorbutico à lare ſingula proficiſci meridianâ luce clarius. Nedùm ipſamet contingant ſcorbuti materies, reverà ipſemet ſcorbutus ſunt indole, ſede, ac formâ ſolùm mutatus.

I V.

NON ſolùm multiplex & diverſa eſt humoris ſcorbutici indoles ac cauſa; verùm etiam multiplex ac diverſum eſt ejuſdem promptuarium. Quæcumque ſecum trahat incommoda, quâdam abſque congeſtione ſe gerit nuſquàm. Totuplex ejus hoſpitium, quotuplex diſpar, à quibus mutuatur, partium genus. Omnes ſiquidèm & ſingulas, quibus prorſùs accommodum eſſe ne dubites, indiſcriminatìm occupat ille, ignoſcendo earum nemini. Sicut nulla eſt, quæ non ſecernat, excernatque (*a*), ita inter eas, cui ejuſmodi venenum incumbere non valeat, nulla. Illud igitur alibi, quàm in ſolo viſcerum abdominis ſyſtemate per nos liceat, ut ſuum nanciſcatur fomitem. Om-

(*a*) Vid. Theſim. An ſibi invicem auxilientur diverſæ Glandularum Functiones. Anno 1753.

nis paritèr, ejus ad exemplum, febrium natio suum non perennet sempèr (ut in ore omnium est) acetabulum solo in viscerum imperio; nec tota intermittentium cohors solis in infimi ventris visceribus de more solito jugiter hospitetur. Etenìm stabiliendæ huicce opinioni suffragantur unà scalpellus anatomicus, praxis, observatio, experientia & ratio. In exemplo sit igitur pernio, panaritiumve, altera chiragræ species à naturali vix degener, arthritis, rhumatismus, acutus demùm quilibet dolor in articulis, periosteis, musculis, artuumque membranis sæviens. Nonne magnam quotidiè concitant febrem, tum continuam, cùm intermittentem, cui locum dat reflua in majoris ordinis vasa illorum materies? Haùd excipienda est etiàm maligna febris, petechialis, aut alia quævis ejusdem farinæ. Sic physicam reddere rationem, cur debacchantibus illis, alitèr & alitèr se habeat œconomia, leve negotium. Tota interìm cruoris illæsa stare videtur crasis, nec secretionum, nec excretionum vulgari nomine conspicuarum in aliquo peccat munus. Omnes potiùs laudabiles & quales in sanis, deprehenduntur, gravissimo licèt virûs furentis accessu corripiatur æger. Ingens aliàs virium debilitas, summave prostratio, pulsus debilis interdùm, aut naturali prorsùs similis, inæqualis, æqualis, intermittens, celer aliàs, durus, magnus, vel constrictus nimiùm. Pessimè judicat ergo quicumque idem semper, & unicum incusando viscus, ignoto autèm & inulto unius vitio, damnatâque simùl alterius innocentiâ, constans virulentæ materiæ non alibi, quàm in illò inveniendum esse receptaculum statuit. Sic etiàm ejus ad exemplum longè ab angusto veritatis tramite recedunt ii, qui solo in abdominis cavo unicè & constantèr virulentiæ natales deponunt. Sic infelici cum successu alii in hepar, in lienem alii, quidam in ventriculum, nonnulli in pancreatem, hi intrà omentum, illi in intestina, plures in abdominis musculos & peritoneum, pro ut somniant omnes, ad nutum refundunt. Quos quidem de falso redarguit repetita cadaverum sectio, ac peritissimum artis nostræ exercitium, quibus variam inesse variis corporis partibus scorbutici sedem humoris constat. Sive solitariam iste, sive multifariam in eodem simul subjacente figat: integrum enim eundem in locum mineræ fundum perpetuò non immittit natura, sed aliquale duntaxat ejus rudimentum, nec perenne unicâ in parte defigit ejus fundamentum. Tali aut simili ducta consilio, dum quis periodicè laborat scorbuto, sinit ad summum ex usu saltem recepto prospiciens illa mater, ut superflua & regurgitans nimis huc & illuc intra corporis cancellos divagetur portio, & præcipuam interdiù mineræ summam ægrè amovendæ natali in loco tuetur superstitem. Alioquin tota si contagii in motum ageretur materies, in perniciem brevì rueret machina. Quibusdam in abdominis visceribus æquè ac cæteris in partibus aliquando capit exordium, unde ad alias occasione datâ derivatur partes scorbuticum virus. Illud quidem ultrò concedere lubet animus. Estne idcircò præcipua ac perpetua in hâc regione ejus patria? Frequentioresne ibi perflant ejus procellæ? Estne major ibi ac diuturnior quàm alicubi dolorum cruciatus, quotiescumquè dignoscitur scorbutica lues? Nequaquàm. Etsi virus aliundè huic vel alteri non rarò decumbat visceri, nativo tamèn illius succo, nec sempèr, nec per se magis est analogum, quàm alio cuivis humori, nec ipsi paritèr potiùs quàm alteri commiscetur. Sed aliquotiès lymphæ, rorisve nutritii, quibuscum secernitur, beneficio visceri subministratur. Res illustretur exemplo. Biliarios inter poros totiès non stagnat atque continetur, quotiès hepar obsæpit virus. Lymphæ id colum irroranti

quâcum ſeparatur, magis proximum & intermixtum eſt, quàm bili; undè vaginoſas hepatis ſolùm inter membranas tunc immorando congeritur. De cœteris cujuſcumque cavitatis viſceribus & aliis corporis partibus idem eſto judicium. Varias ſæpè non aliter procreat functionum læſiones eâ proportione, quâ totum viciſsìm perluſtrat circulando corpus. Plures enim ipſi non deſunt rationes, quibus à craſi legitimâ corpus pervertit. Re ipſâ ſuæ præ indolis varietate in fœtu aliter, aliter in puero, vere aliter, aliter autumno, ſtrumoſâ in labe diſenteriâque aliter, &c. Mirabilis autèm hæc varietas à multiformi elementorum naturâ, mixtione, proportione, craſſitie, tenuitate, texturâ, inteſtino cruoris motu, morâ & actione adeò pendet, ut aliam indè prorſùs contrahat indolem. Nec ipſi id peculiare ſoli. Vegetabili, animalique obviàm eſt individuo. Sic pro variis etiam quibus donatur ejuſmodi fermentum indole, mole, cauſâ, quantitate, motu, actione, acrimoniâ, ſedeque diverſos producit morbos ab unâ quaſi radice pullulantes, quatenùs ſolida, & fluida omnes ſecundùm quos immutari poſſunt modos, depravat. Quamdiù tamen blandas & æquabiles ſervant oſcillationes illa,. & ſuas ritè perficiunt hæc functiones, tamdiù venenum in nervos irruens, noſtriſque liquoribus ſe committens, eadem ullatenùs nequit perturbare. Si à craſi ſuâ dejicit utraque, priſtinum facilè recuperant ſtatum Undè quod exoritur mali, aut nihil, aut leviſſimum. Quandò multùm ac multiplici, aut quâdam in parte ſolùm peccat corpus, tunc reconditum in cruoris gremio brevì tardiùſve ex improviſo ſeſe pandit contagium quod ſuas exercendo vires, has vel illas afficit partes. Suum quomodò publicet progreſſum & intendat, fortè quæris? In tantùm evolvitur, ubi congenitum, ab externâ internâve cauſâ; vel efformatur intus, ubi adventitium, in quantùm diſtractâ impenſiùs ac impenſiùs functionum re, à ſtatu prælongè ſano deſciſcit homo. Quamvìs à naturâ imprægnetur hoc vitio, optimâ interdiù perfruitur valetudine, donèc ſuſcipiantur intùs foràs quæſitæ pravi moris particulæ, aut aliâ quâvis ratione interturbetur œconomia. In actionem ac evolutionem impellitur ulteriorem multiplici quidem viâ. Iraque dùm ſolida ultrà quàm par eſt, tenduntur, laxantur, diſſolvuntur humores, inſpiſſantur, alcaleſcunt, utrinquè virus nocet ſummoperè, niſi parciori ſit quantitate, ut à ſuo munere peragendo partes removeat. Quo in caſu circà utraſque ſerpit innoxiè. Luculentiſſimum in fermento farinæ commixto lucro apponas ejuſmodi exemplum. Si enim parvâ nimis ſit mole, debitam in fermentationem eam non adducit infirmiori impar actione. Quarè nulla ſupponatur ergo ſcorbuticum virus intèr & nocivas, quibus in nobis generatur, aut promovetur particulas, & corporis compagem, nulla indè ſubnaſcetur ſcorbuti ſpecies. Ex oppoſitis ſi quolibet agente ea fiat mutatio, quæ promovendæ ulteriùs veneni evolutioni faveat, proximus indè eveniet ſuis ſtipatus phœnomenis. Deturbantur interim ſolidorum oſcillationes, cruoris circuitus & glandularum functiones. Deteriorem igitur ſub partem perducitur corpus, quoniàm malè ſe habet anteà, nec illud eſt quod irrumpenti veneni contagio ſuâ conſtitutione adverſetur. Quas ſi non invenit diſpoſitiones, dum corpus ſubit virus maximâ quantitate, illas è nihilo in lucem eruit ociùs, imprimis ſi actione potens. Sed nihil à ſe in omnibus magis diſcolor! Quàm facilis nunc ejus mobilitas, quàm difficilior nunc intra vaſorum parietes ejuſdem circulus, incredibile! Quanta ſit motuum ejus varietas, quantâ nnnc eundi redeundique ab unâ non ampliùs dolente ad aliam, ad quam dicto citiùs tranſit partem, gaudeat facilitate, quantâ nunc præpediatur lentoris difficultate quis credat? Næ ſubitis loci mutatio-

nibus quid magis obnoxium ? Quot varios morborum insultus, quot morbos diversæ naturæ suâ præ inconstantiâ in medium profert ? Cum enim plures simùl corrumpit partes, morbi indè oriundi sunt mixti, & à se invicem dissimiles. Ast ubi actuosum & agilissimæ est naturæ, quamvis ea quæ corpori impertitur, non nisi exilissima sit ejus pars, quamplurimùm excitat tumultum ! Subtilissimæ instar alterius auræ ac pernicioris nullo sensu tunc, solo autem effectu percipitur. Quammultùm diversæ obtinent eæ, quas tangit, partes ! Nec mirum. Mox sale ac sulphure valens & suis igneum particulis universali corpus deflagrat æstu, nervos irrequietè proritat, solidorum oscillationes vehementèr auget, fluida rarefacit, acrimoniâ exacuit ac prætermodùm dissolvit aut assiduâ tenuioris exhalatione inspissat nimiùm, bilem exasperat acutorum scaturiginem, obstructiones fabricat chronicorum parentes. Mox putrefaciens omne quod lambit, suâ acredine consumit, mox principiis effœtum, vigoris expers & crassius suo lentore densat, vel in grumos cogit, quos in putredinem ducit pedetentim liquores, magnæ mox seri copiæ innatantes sanguinis globulos reddit; pessimo sic etiam inundat solida diluvio, quæ ampliùs non vibratura emollit; & triplicem non alio modo eorum motum, elasticum nempe, tonicum ac muscularem, multifariàm evertit. Omnem demùm liquidis aliàs suâ ad incernicula & excretoria præcludit aditum. Hinc sanguineæ, hinc lymphaticæ & aliæ quævis congestiones, hæmorrhagiæ & indurationes, *&c.* Non menti minùs quàm corpori infensum. Omnes ejus antevertit operationes. Graves & in se persentit disturbationes animus à nimiâ nervorum rigiditate, tensione, perenni irritatione, facili succutione, inordinato ac convulsivo succi nervei motu, fervidoque humorum æstu, fermentatione, acredine & inæquali cursu suborientes. Singula cruoris pars determinatæ est molis, naturæ, figuræ, coloris, actionis & motûs, diversæ proprietatis & peculiare sibi colum vindicat. Quàm longè mutabiles inter se sunt hæ qualitates ! Non secùs ac istæ, quibus adamussim circumgyrando evadunt pares, sibi mutuò dissentiunt ubiquè virûs dotes. Itaquè, dùm generali cruoris in alveo coercetur, & universum per corpus diffunditur, vel singulis cum partibus init consortium, nulli se se addicendo, sed intrà vasa omnibus æquè confusum humoribus, vel peculiari quocum major sibi est connexio & miscibilitas, intermiscetur liquido. Nec nisi à mirabili ejus indolis & cursûs diversitate diversimoda habetur morborum propagatio, omnigenaque symptomatum legio. Et certè solito de cibi, potûs, medicamenti externique aeris more, ad singula appellit incernicula, ubi semovetur & alteratione, mutatione ac evolutione simùl excipitur; undè secretione peractâ integrè partimve absque medico sæpè eliminatur. Jam verò omnes inter, quas, agmine facto, in homine suscitat, affectiones, universaliori quasi jure primas teneant febres. Continuas ac periodicas cujusque generis facit, proùt continuato, interruptoque temporis spatio, majora repetit, deseritque vasa. Has quoque promovet majores aut minores, quatenùs alienos cum innatis succos sursùm deorsùmque versat intrà colatoria, vitæ magis aut minùs necessaria, sensu multùm vel parùm exquisita, & eorum virtutem tàm depurantem, quàm expellentem graviori aut leviori labefactat negotio. Cunctæ periodicarum accessiones non ubiquè, nec sempèr à periodico, vel assiduo in sanguinem è primis viis saburræ influxu adolescunt. At sæpiùs à delitescente alibi virûs censu palàm subrepunt. Neque sempèr à duratione pendent cessantque eâ lege, ut morbosa materies undè prodeunt, in easdem vias sub excre-

tionis titulo jugitèr exoneretur, de novo indè regressura, aut foràs abripienda. Potiori jure sedari solent hæ, quià postliminium, elapsâ semèl quâdam temporis mensurâ, absolutoque circulo, sibi vindicat hæc iterùm atque iterùm illud amissura, donèc penitùs consistat, vel extrà rejiciatur quâ data porta, ampliùs non resurrectura. Inæquali pro ævo, quo ejusmodi matèries infaustam exequitur peregrinationem, unicam vel plures eâdem in die, hebdomade, mense, tempestate & anno febris periodos vel morborum reditus propalat scorbutica lues. Mutuus ergo febris & affectuum regressionis fomes non potiùs ventriculi intrà ac intestini cavum, quàm per renes, *v.g.* & glandulosum quodvis organum conglomeratur; nisi ipsemet fortè peculiaris sit ingenii & analogiæ, vel nisi utriusque visceris infirmitas ejus stationi proximè conducat. Quaproptèr sanguis si mittatur, purpureâ parte sanus, grumosusve, columbinus, rutilus, solutus, pultaceus, acer, muriaticus, corrosivus, mucoflavus, subviridis & in superficie variegatus, fibrosâ parte ater, crassus, coagulatus, concretus, deustus, in totum serosus, alcalescens, acescensque, *&c.* Ubi lymphæ inhæret vitium, nulla est quâ non depravet, ratio, nullum indè quod, cum ipsâ si secernatur, non hîc & illic toto in corpore dispergat ægrotationum genus.

V.

DUM externum ad corporis habitum protruditur venenosa materies, si sub cutis superficie colligatur & hæreat, quatenùs tenuia ejus vasa permeare inhabilis, eam macûlis describit, in tumorem attollit, supuratione lacerat. Sic maculosæ nunc adsunt & vibicibus pares, nunc papulosæ ac diversi coloris eruptiones. Harum autem aliæ rubicundæ, purpureæ, violaceæ, puliciformes, nigræ, olivaceæ, croceæ, albicantes, planæ, latæ, permultæ aut paucæ, aliæ turgidæ, vesiculosæ, subrotundæ, virosæ ac succorum improbitate nocentes, serosæ, lacteæ, mucosæ, ichorosæ, squamosæ, confertæ, aut discretæ, miliares, variolicæ, petechialesve, *&c.* Omnes vel in toto, vel in peculiari solùm integumento, *v. g.* in facie, ad pectus, circà lumbos, juxtà dorsum & artus, crura præsertim conspiciuntur. Sic modò nonnulli hinc & inde sparsi consurgunt duri tumores, ac quasi per contignationes à se invicem remotas dispositi, sedis loco longè mutabiles, ultro citroque accedentes, recedentesque. Hi insuper vel dolentis, uti phlegmones, furunculi, vel indolentis naturæ & pisiformes aut mole grandiores, ut ganglia, lupiæ, steatomata, scirrhi & œdemata. Sic modò ulcera pravi moris cutem deturpant fœtore infensa, scabiosa, herpetica, intertiginosa, cancrosa, depascentia in latum magis quàm in profundum proserpendo ubique vagantia, limbo callosa, sicca, oreve saniosa, ad gangrænam pronissima, aut contumacia, nullo ferè pharmacorum genere & efficaciâ superanda. Sive externa, sive interna sint, subviridem, seu multicolorem potiùs, mucosam, lentam, ac corrosivam identidèm depluunt materiem. Non solùm ejusmodi damna cutem fœdant; vagi etiam dolores aut periodici, noctis solisque exorientis æquè prænuntii passim errant, summè atroces, & à nimiâ quasi defatigatione intra scapulas, secundùm dorsi spinam, juxta lumbos ac membra maximè ferociunt. Ex eodem principio deducendi veniunt irrequieti pruritus levisque calor, quorum conspiratione interdum corpus adeo exagitatur. Lecto inde accumbenti nocte, & à somno evigilanti manè ægro, somniando quaquaversum excurrit animus. Nocturni à capite imprimis, uberiori copiâ prodeunt sudores. Formicatio & aere velocior auræ veluti frigidæ ascensus persentitur, summa totius machinæ gravitas, ad motum ejus impotentia, maxima eundi

difficultas. Carnes intabefcunt circa renes, clunes, &c. & exficcantur. Totum per corporis habitum quem alternâ vice fpafmodica vaforum ftrictura & toni infractio torquent, nutritio à perverfâ lymphæ indole parta conturbatur. Pituitofa exinde cachexiæ intemperies, leucophlegmatia iniquis haud paffibus adeffe feftinant; præfentem ob virûs in textu cellulari moram emergit aliàs onerofa nimis obefitas. In eâ denique quâ parte dolet & ægrotat cutis, fæpe nulla eft coloris mutatio, nullus aut exiguus faltem hanc elevat tumor. Nihil enim fuo in contextu fcorbutici, totâ veneni fubftantiâ intus latente, aliquando reperiendum habet. Externum fic igitur corporis integumentum innumeris inquinatur vitiis? Nec fatis. Frequentiores quoque ejufmodi virûs fedes reputentur extrema, tum fuperiora, cùm inferiora. Sic fpontaneæ fibrofâ in carne laffitudines, morofa doloris fenfatio, tremor, erethifmus, convulfio, fpafmodica motûs alternatio, contractura, ftupor, gravitas, imbecillitas, fumma ac ferè invincibilis inertia. Convulfivi tendinum fubfultus, cruciatus, inflatio, induratio, retractio, refolutioque. Facilis & intempeftiva maxillæ inferioris, colli, brachiorum, genuum, crurum, talique luxatio & horumce omnium immobilitas. Circa ligamenta, cartilagines, & articulos, qui in motum ægrè, aut nihil flecti queunt, rigiditas manet eorum fupplicium, vel acutiori ftrident fonitu. Infirmus in pueris tardiorque inceffus, ad prolapfum proclivitas, infita membrorum enervatio, monftrofa facies, aut inverfa ac laboriofa eorum retractio, *(a)* annofa pedum inftabilitas, fedendi prurigo, decubitûfve perennitas. Infignior nunc præ aliis partibus, femibrachii ac fibulæ macies, nunc torofitas, œdematofus rubor, dolores nunc medios per artus defixi funt ac nocte vehementiores. Non minùs fpectandi hùc accedant quoque tumores collo, fub axillis, in brachiis, femoribus, *&c.* prominentes, panaritia, anevrifmata, varices, verrucæ, clavi pedum chiragricis nodis congeneres, eorum propè ungues ftillicidia, fungi, farcomata, carnefque cœteræ id genus intus & in cute ubique luxuriantes. Eandem demùm ingrediantur claffem ficcæ & humidæ, ubicumque corpus maculent, fiffuræ. Manus ac pedes ad pollicis bafim fæpè intumefcunt & dolent amariùs, ex eo quòd eorum intra mufculorum vaginas decumbit contagii lues. Illarum penès carpum & horumce malleolum non raro ægrum adhùc difcruciat. Priores in volâ, pofteriores plantâ fubtùs ardore, frigoreque alternatim corripiuntur, pruriunt, vel fquamis exfolvuntur, inflammatorio præfertim morbo declinante. Quid plura? Ab eodem utrifque manant veneno fpontanei fudores, quibus uti axillæ affatim fcaturiunt. Nec aliundè gypfei nodi, cretæ fimiles ad digitorum latera in arthriticis propè phalanges durefcunt. Quin imo puellæ ac matri, podagræ loco, ancipite aut periodico modo pedes magnopere intumefcunt. Si verò humor fcorbuti parens infantem aggreditur, ut pote offibus molliorem, vimineâ præ flexilitate quafi cereum, in totùm humiditate diffluentem, & cujus corpus in horas ampliandum eft, tunc rachitidem parit, alterum fibimetipfi ramum. Nafcitura proinde funt offium protuberantia, curvatura ac contorfio mirum in modum variegata, tenuitas, mollities, flexilitas, longè præternaturalis intra cavum eorum intumefcentia, dirus labor, exoftofis, anchylofis, luxatio, erofio, denudatio, caries atque nigredo, vel omnimoda epiphyfiorum, apophyfeorumque depravatio, prout virus internam offium fubftantiam infarcit ac nativam fucci medullaris & *Cambii* invertit naturam *(b)*. Quæ vitia ad humeri, radii, ulnæ, femorum, genuum,

(a) Voyez l'Hiftoire de la Maladie de la nommée Supiot, par M. Morand. D. M. P.

(b) Voyez la Differt. manufc. de M. Navier, Med. à Châlons-fur-Marne, fur le Ramoliffement des Os de la Supiot.

tibiarum, vertebrarum, costarum juncturas solent consistere. Hæc in famelicis, aut tenesmum patientibus extant præcipuè. Si virulentum ulteriùs perfequaris humorem, eadem aut penè similia, aut pessima adhuc intra corpus condi ab ipso mala liquet, quæ turmatim exhibuit in extremis ac totâ ejus peripheriâ. Etenim nonne quotidiè in utroque sexu foràs expellitur, teste observatione, judiceque experientiâ, tàm per utrumque oculi canthum, auris, narium meatus, fauces, bronchia, oris cavum, renes, anum, genitalia in viris excretoria, mammas atque uterum in mulieribus, quàm sexcentos per cutis poros? Jam verò liberum eidem offerunt exitum singula corporis emunctoria, in quantùm facilem huic priùs concessere ingressum diversa glandularum secretoria intus distributa. Sed quod notatu dignum, illud singulare est cuilibet ægrotationum speciei, quæ à scorbutico viru proveniunt, quòd periodicas habeant regressiones aut alienas aut similitudine pares, & quòd criticâ quâdam absque collectione internâ nusquam solvantur, vel externâ humoris morbifici eruptione. Nec aliâ de causâ nisi, ut ab ejusdem sarcinâ, quâ impar fatiscit natura, opportunè liberetur, quibusdam plethoricæ constitutionis prægnantibus primarios per gestationis menses prætumidis è mammis aut renibus, *&c.* foràs erumpit virus scorbuticum, speciosam lactis non malè referendo formam utrinque. Modò ex uno, aut altero, modò ex utroque continuò vel identidèm ubere profluit. Impendentem jamjàm lactis effusionem utero gerenti quasi ex tripode prænuntiat, & eam puerperæ ac nutrici æmulam reddit longè præcociùs. Sic multiplici modo viventi proximè instat mortis imago, dum varias peragrat corporis regiones, quas à functionibus ritè peragendis impedit, scorbutica labes. Quàm antiquum igitur sit ejus prædominium, quàm latior, quàm patentior ejus imperii campus ex dictis abundè patet! Exitiale enim Proteiformi sub larvâ passim exhalare mephitim, aut morborum saltem fœcundum ubivis locorum concutere manet comprobatum.

Ergò à diversâ virûs scorbutici indole & sede Morbi diversi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus Gourlez de la Motte.

M. Joannes Stephanus Guettard, Regiarum Acad. Parisien. & Florentinæ Socius, Censor Regius, necnon Historiæ Naturalis Musæi Serenissimi Aurelianensium Ducis Custos.

M. Natalis-Maria de Gevigland.

M. Franciscus David Herissant, Regiæ scientiar. Academiæ Regiæque Societatis Londinensis Socius, necnon Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.

M. Jacobus-Franciscus le Chat de la Sourdiere.

M. Joannes-Franciscus Isez.

M. Joannes Astruc, Saluberis Consilii Regii Socius, Regis Poloniarum Augusti secundi, Electori Saxoniæ, dum viveret, Medicus primarius & Professor Regius.

M. Franciscus Mery.

M. Joannes-Baptista Dubois, Professor Regius Emeritus.

Proponebat Parisiis HENRICUS-MICHAEL MISSA, Remensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor A. R. S. H. 1754, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facult. Medicinæ Typographi, 1754.